

hifce præficitur, Comes Palatinus Rheni Bavarix Dux Fridericus : hic dum necessaria bello parat , Philippo è patre nepoti (cujus hic imago cernitur)



in defendenda Vienna partes suas committit : qui Spartam sibi demandatam quovis tuèri, atque exornare modo conatur. Hoste magis magisque appropinquante, suburbana, quia ampla & imminuta, præsidio Turcis esse poterant, diruta sunt & incensa : machinæ, & bellica instrumenta disposita : naves quæ in anchoris perstiterunt submersæ : fossæ post muros ductæ : erecti aggeres : urbis custodia per stationes divisa , & valida undique elocata præsidia : portæ penè omnes præter eas , per quas egredi nonnunquam in hostes liceret, latere cocto obductæ : sicque compositis rebus, non diu manibus & armis temperatum. Nam mox occupatum castrorum munitione hostem aggressi nostri exigua manu, collatis ultra vallum & munitiones signis, pepulère. Tentatum idem sæpius & plerumque feliciter : sæpè caesis plurimis sine sanguine nostro in Urbem reditum. Hostis cum aliquandiu vineis admotis, actisque cuniculis muri fundamenta subvertere, sed frustra tentasset, quadrifariam tandem divisum exercitum, ac senas sibi ipsi succedentem in horas, continuato die ac nocte prælio Urbem jubet oppugnare : fossores interim in averissimam munitionum parte cuniculos numero plures agere : ut perpetuis laboribus exhausti, obsessi loca deferere cogerentur : armorumque strepitu actos cuniculos non sentirent. Nec fuit spes vana Tyranni, cum suffossus & crebra vi pulveris impetitus murus tribus ex oris amplâ patefactâ fenestrâ corruerit. Hic ingenti sublato clamore Turcæ patentes muri aditus, per ruinas magno molimine gradientes oppugnare : nostri, è diverso, animo infracto insultantium impetum sustinere : hostes ipsos muro arcere : tandem repellere. Non semel sed sæpius hunc ad modum, sed frustra tentatâ urbe : fractis militum animis : increbrescente rumore, brevi cum copiis auxiliariis Ferdinandum Regem & Fridericum Palatinum affore, de solvendâ obsidione tyrannus cogitat, incensisque statim primâ sub vigiliâ castris, institutam accelerat abitionem : quod tamen ne foret inultum, crudelitate summa coram se mactare jubet Christianos omnes, quos fors iniqua captivitate involuerat. Hybraim Bassa, collectis levis armaturæ equitibus, compositisque ex arte & industria subsidiis : præcedentem à tergo tutabatur Tyrannum, qui correptis repentè signis, tantâ cum festinatione reliquum